MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80298-4

AUTHOR:

BOEHME, PAUL

TITLE:

QUAESTIONES CATULLIANAE

PLACE:

BONNAE

DATE:

[1862]

Master Negative #

91-80298-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Boehme, Paul, 1838-
Quaestiones Catullianae; commentatio philologica quam... publice defendet Paulus Boehme... Bonnae, formis Carthausianis, [1862]
40 p. 21 cm.

Thesis, Bonn, 1862.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-30-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QUAESTIONES CATULLIANAE.

COMMENTATIO PHILOLOGICA
QUAM
SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
RITE OBTINENDORUM CAUSSA
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXVII. MENSIS MARTII ANNI CIƆIƆCCCLXII.

PUBLICE DEFENDET

PAULUS BOEHME
HALENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

OTTO KARLOWA, CAND. IUR.
GUSTAVUS RICHTER, DOCTOR PHIL. REN.
ADOLFUS BUFF, SEM. PHIL. NUP. SOD. ORD.

BONNAE
FORMIS CARTHAUSIANIS.

Q. Valerii Catulli ut in vita, ita in carminum fatis magnae sunt Veronae urbis partes. Hanc enim et ipse matrem suam adpellat c. LXVII, 34 et poetae patriam fuisse multis aliorum auctorum testimoniis edocemur; e quibus ne in reliquis diutius commorer, haec tradit Hieronymus Ol. 173, 2 (667) „C. Valerius Catullus scribtor lyricus Veronae nascitur", quocum consentit praeter alios Ovidius amor. III, 15, 7 „Mantua Vergilio gaudet, Verona Catullo". Nihilo setius, num re vera in ipsa urbe Catullus natus sit, dubitatum esse scio hanc ob caussam, quod e carminibus XXXI et IV appareat eum Sirmione, quae paene insula in Veronae agris sita est, villam possedisse; inde veri simile visum est non prorsus adcurate a quibusdam Veronam Catulli patriam dictam esse. Quod cum de ipso Catullo tum maxime de Ovidio facile concesserim, quippe qui in illo ipso versu Mantuam pro Andibus ponat, minus autem de Hieronymo, qui ut Ol. 177, 3 (684) Vergilium in pago, qui Andes dicatur haut procul a Mantua natum esse commemorat, non dubito, quin Catullum Sirmione natum esse dicturus fuerit, si hoc verum esset. — Cum autem Sirmione Catullus villam possideret, saepissime eum etiam cum aetate provectior esset Veronae commoratum esse pro vicinitate horum locorum admodum probabile est et ab ipso poeta manifesto adfirmatur c. XXXV, 3. LXVIII, 27. — Veronae resurrexit Catullus, ut ita dicam, post diuturnam oblivionem saeculo post Christum decimo [1]), ubi Ratherius episcopus Ve-

1) Quod Hauptius quaest. Catull. p. 2 Ratherium saeculo nono vixisse scribit, calami errori tribuendum est.

ronensis carmina eius — ab ipso fortasse reperta — legit. Paulo postea vero, cum Ratherius anno 968 a civibus suis Verona expulsus esset, Catulli exemplar, quo ille usus erat, in pristinas tenebras rediisse credibile est; nam qui eodem aut proximis saeculis Catullum legerit, neminem novimus. — Saeculo demum quarto decimo ab homine aliquo nobis ignoto item Veronae illud Ratherii exemplar denuo in lucem revocatum est, sed tum quoque ut carminibus in alios libros transcriptis mox iterum ex hominum conspectu tolleretur infelici casu videtur factum esse.

Ad hunc igitur Veronensem codicem omnes, quotquot hodie extant, Catulli libros origine referendos esse homines docti consentiunt, ita ut nullum fere nostrorum librorum pretium fore adpareat, si quando ut ille reperiretur contingeret. Contra quo modo nunc res habet, id primum me iudice in arte critica in Catulli carminibus exercenda adnitendum est, ut collatis nostrorum codicum lectionibus quid in archetypo scriptum fuerit exquiratur. Qua re quod certam huius imaginem effingere studuit Lachmannus optime meritus est; is scilicet cum sibi intellexisse visus esset corruptelarum, quibus referta sunt Catulli carmina, haud paucas tales esse, quales saepissime in initio vel fine paginarum deprehendantur, inde et versuum et paginarum numero computato archetypum effecit septuaginta sex tricenorum comprehendisse versuum paginas. Ad hanc normam editionem suam Catulli instituit, ut lectoribus archetypi imaginem ante oculos poneret, vix quidquam praeterea de invento suo adnotans.

Lachmanni partes in se suscepit Hauptius, qui in quaestionibus Catullianis p. 38 sqq. id, quod Lachmannus indicaverat tantum, per partem Catulliani libri pluribus persecutus certis argumentis comprobare conatus est.

Neque vero defuerunt, qui Lachmanni opinionem inprobarent, e quibus Heysius, cum in disputatione, quam editioni suae adiecit, p. 279 Lachmannum errasse contendat quidem, sed demonstrare supersedeat, nihil ad hanc quaestionem dis-

solvendam contulit. Melius in eo certe rem gesserunt Froehnerus in Leutschii philol. XIV p. 572 sqq. et Bergkius in nov. mus. Rhen. XV p. 510—513, quod certis argumentis Lachmannum inpugnarunt, quae tamen ego aut probare non possum aut nequaquam ita prolata esse arbitror, ut eis tota res profligata sit. Nam quod Lachmannum falso statuisse opinati sunt in codice V [1]) singulis carminibus titulos non praefixos fuisse, id aliter mihi videtur se habere. Maxime doleo, quod neque Lachmannus, qui libros Berolinenses neque qui Parisinos excussit, Silligius [2]) titulos ex eis notare operae pretium fecit; nam in codice Germanensi (G), qui nunc in bibliotheca regia Parisiensi est et omnibus reliquis libris Catullianis vetustate praestat, Leutschius in Götting. gel. Anz. 1855 p. 1982, in illorum autem altero, Datano (D), Froehnerus philol. XIV p. 568 titulos extare adfirmavit; neque abesse eos ab altero libro Berolinensi, Laurentii Santenii (L), Fr. Umpfenbachius Gissensis, qui et D et L ipse inspexerat, Buffio amico intercedente per litteras me certiorem fecit, specimine simul titulorum ex utroque libro adiecto. Inde haec comperi: tituli in L ab eodem librario, qui carmina scripsit, depicti sunt rubro colore itemque priorum XXXIV carminum tituli in D nec non carminis XXXV, sed huius carminis titulus minutis, priorum quadratis litteris; reliqui vero tituli in D atramento expressi secundae, quae tamen simillima est prioris, debentur manui. Hinc id primum, ni fallor, adparet nullam esse fidem titulis in codice D inde a carmine XXXVI, ut nullo modo intellegere possim, quo iure Froehnerus l. c. 574 in titulis ubique D sequendum esse dicat, neque antiquitatis speciem prae se fert, quod carmini XXXV inscriptum est in D „ad Celum iubet libello loqui“ et in L „ad libellum suum de Cicilio.“ Iustiorem antiquitatis

---

1) Littera V anticum librum Veronensem, reliquos codices eisdem litteris notavi, quibus Rossbachius usus est, quem etiam in numerandis carminibus et versibus secutus sum.

2) Silligii collationem publici iuris fecit Rossbachius in programmate Vratislav. a. 1859.

suspitionem movent tituli priorum carminum non nulli cum consensu, qui in his inter codices D et L intercedit, tum ipsorum specie, ut maxime hi duo carminis XXIX „In Romulum Cathamitum“ et c. XXVII „Ad pincernam (picernam L) suum“. Sed haec quoque species vereor ne fallax sit, cum „pincerna“ vox usitatissima sit mediae et infimae latinitatis temporibus. (Cfr. Du Cange gloss. med. et inf. lat. s. v.). Catamitum autem qui hominem effeminatum vel pathicum dixerit, neminem novi nisi Ciceronem Phil. II, 31, 77, quem locum ille respexit fortasse, qui Catulli carmini XXIX titulum inposuit. Itaque ne his quidem exemplis prohibemur, quo minus titulorum, qui in nostris Catulli codicibus reperiuntur, recentem esse originem statuamus [1]). Sed tota haec quaestio ad liquidum perduci non poterit, priusquam optimi et antiquissimi codices, maxime G, adcurate explorati erunt. Quo facto nisi consensum quendam inter hos intercedere adparuerit, vix quisquam in codice V defendet titulos fuisse; sin autem re vera eosdem proborum codicum communes esse titulos certum erit, tum de communi quidem horum fonte, qui vix alius esse potest atque ipse archetypus, cogitemus necesse est, nec tamen hanc ob caussam eis eandem atque illi codici antiquitatem tribuerim, sed aut saeculo X a Ratherio aut saeculo XIV ab homine aliquo docto eos fictos et in archetypo singulis carminibus praepositos esse conicere maluerim [2]). Utcunque autem

---

1) Librariis saeculi quarti decimi titulorum originem tribuit Leutschius l. c. p. 1985, qui, ne urgeam, quod in nostris codicibus eos inde a carmine LXVIII fere prorsus desinere neque raro etiam a prioribus carminibus abesse dicit, aptissime unum adtulit exemplum e cod. G, in quo carmini XXXVI inscriptum est „Adlusi cacatam;“ ineptum hunc titulum nemo opinor non videt existere non potuisse, antequam ipsius carminis versus primus singulis vocabulis pessime seiunctis in hanc formam, quae in G reperitur, redactus esset:

Annuale suo lusi cacata carta.

2) Hoc mihi eo probabilius videtur, quod etiam aliis de caussis codicem V correctoris manum expertum esse arbitror; qua de re disserendi postea incidet occasio.

res sese habet, hoc mihi persuasum est nihil valere quod de titulis Froehnerus et Bergkius protulerunt. Multo maiore iure eidem viri Lachmannum vituperant, quod in refingenda archetypi imagine arbitrium magis quam probabilitatem, potissimum in statuendis lacunis, secutus sit. Quod tamen vellem illi non solum contendissent, sed etiam ostendissent; nam quod Froehnerus quasi in transcursu de prima exemplaris Lachmanniani pagina pauca verba facit, num multis totam rem profligasse videatur, vehementer dubito. Itaque spero fore, ut opus non prorsus inutile adgrediar, si ad quaestionem illam diudicandam, quantum possum, conabor conferre. Quod melius adsequi non posse mihi videor, quam si eandem, quam Hauptius ingressus est, viam decurrens hoc strenue adtendo, num invicem et Lachmanni de archetypo opinio singulari corruptelarum, quibus inquinata sunt Catulli carmina, genere commendetur et hae corruptelae Lachmanni paginarum partitione apte explicentur.

Disputandi initium fecit Hauptius quaest. Catull. p. 38 a felicissimo Scaligeri invento, qui carmina, quae vulgo feruntur LXXXVII et LXXV, disiectas unius tantum carminis partes esse rectissime perspexit; quod cur inprobaverit Rossbachius (in adnotatione critica ad carmen LXXXVII), fateor me ne divinare quidem caussam. Attamen quo modo factum sit, ut illud carmen dirumperetur, nemo videtur curavisse ante Lachmannum, qui primus disiunctionis illius caussam turbatum paginarum ordinem esse indicavit carminibus sic dispositis:

p. 67 in fine: c. LXXIV
p. 68. 69: c. LXXVII—LXXXVII, 4
p. 70: c. LXXV (LXXXVII, 5—8) LXXVI
p. 71: c. LXXXVIII sqq.

Quae omnia maxime probavit et adcuratius persecutus est Hauptius, cum in hac paginarum perturbatione Lachmanni de archetypo opinionis inesse putaret documentum. Scilicet quae in paginis 68—70 perscripta fuisse ille statuit, carmina nonaginta octo constant versibus, quorum tamen sex LXXVIII,

7—10 „sed nunc id doleo" etc. et LXXXIV, 9. 10. „et tum mirifice" etc. extra versuum ordinem in margine antiqui exemplaris locum habuisse ad probabilitatem adduxit Hauptius [1]). Praeterea item in marginem reicere voluit duorum carminis LXXVIII distichorum, quae ab eisdem verbis „Gallus homo est" incipiunt, alterutrum, ut eos, qui restant, nonaginta versus aequis portionibus in tres paginas distribuere posset. Qua in re non omni quidem violentia abstinuit, cuius tamen veniam facile inpetraret, si alioquin Hauptii ratio commendaretur; sed haec ut commendetur tantum abest, ut funditus evertatur. Nam ea, quam Hauptius voluit, si verba eius recte intellego, paginarum perturbatio omnino cogitari nequit; putavit haud dubie legitimum paginarum et carminum ordinem, qualem modo proposuimus, ab initio in codice V servatum, tum vero in hoc ipso pagina septuagesima ante sexagesimam octavam casu aliquo collocata inversum esse. Quod maxime abhorret a vero, cum singulae membranae binas contineant paginas, ita ut illa ratione duae paginae neutiquam possint locum permutare cum una. — Vix autem probabilius explicatur carminum LXXXVII et LXXV disiunctio, si cum Bergkio l. c. p. 511 statuimus Lachmannum perturbationis culpam librario tribuisse. Quem vero librarium dixit Bergkius? num forte eum, qui saeculo quarto decimo e codice V carmina in novum aliquod exemplar transcripsit? at tum demonstaret necesse erat omnes, qui hodie extant, libros origine ad unum idemque archetypi apographum referendos esse [2]), nam plures librarios

1) Hi enim versus in omnibus libris alienis locis positi reperiuntur; et versus quidem carminis LXXXIV, 9. 10. iam dudum omnium editorum consensu revocati sunt in genuinum locum post eiusdem carminis versum alterum; contra illos c. LXXVIII, 7—10 nuper demum Bergkius l. c. p. 507 sq. recte reposuit in fine carminis LXXX, postquam Scaliger castig. in Catull. p. 104, quem secuti sunt cum alii tum Lachmannus, Hauptius, Rossbachius, parum feliciter eos cum carmine LXXVII coniunxit.

2) Quam quaestionem a nemine video usque ad hunc diem institutam esse nisi a Leutschio, qui l. c. p. 1982 dubitare se ait, utrum omnes Catulli

in eundem errorem incidisse, ut easdem paginas praetermitterent et eodem falso loco collocarent, nunquam mihi persuadebitur. Alius autem librarii, nisi quid me fugit, error esse nequit; an putemus illum, qui archetypum exaravit, in eo, unde Catulli carmina transcripsit, codice neglegentia praeteriisse carmina LXXVII—LXXXVII, 4? num hoc ullo modo credibile est, nisi forte etiam in hoc libro a carminis LXXVII primo versu una incipiebat pagina, quarto carminis LXXXVII versu altera terminata erat? quis vero nisi audacissimus singulas statuet archetypi atque eius codicis, ex quo descriptus est archetypus, paginas versuum numero pares fuisse? — Utcunque igitur Lachmannus rem menti informavit, errasse egregium virum et qui eum secutus est Hauptium persuasum habeo.

Neque magis comprobatur Lachmanni versuum computandorum artificium eo Catulli loco, ad quem Hauptius p. 41 transiit, c. LXVIII, 141. 142, inter quos versus haud pauca intercidisse primus Lachmannus recte sensit. Eiusdem carminis versum quinquagesimum paginae 63 primum fuisse inde concludit Hauptius, quod quae ante eum reperiantur menda, finem paginae redoleant; hinc igitur profectus versum 141 „at quia nec divis" etc. paginae 66 alterum fuisse putat. A proximo autem versu usque ad ultimum carminis LXXIV pentametrum i. e. ad finem paginae 67 undesexaginta numerantur versus. Unde ab unius paginae (66) altero versu (141) ad eundem alterius paginae (66[a]) versum (142) temere aberrasse librarium ille colligit. Sed hic quoque, quod contra Bergkium modo protuli, monendum est multo veri similius videri plures librarios quam unum saeculo XIV in describen-

codices ex uno an pluribus archetypi apographis descripti sint; neque ego quidquam pro certo adfirmaverim, quamvis mihi ipsi de pluribus apographis cogitandum esse videatur, namque codicem G ex ipso archetypo descriptum esse postea demonstrare conabor, reliquos autem codices omnes ad unum, praecipue codicem D, ex G derivatos esse vix credibile est.

dis carminibus codice V usos esse aut solutam saltem nondum esse hanc quaestionem. Plures autem librarios in illum errorem incidisse nunquam adducar ut credam. Possum tamen etiam firmiore argumento Hauptium refellere: scilicet cum versum 141 paginae 66, versum 142 proximae paginae (66ª) alterum fuisse opinetur, undetriginta versus praetermissos esse efficitur. Atqui cum versus 141 hexameter, 142 autem pentameter sit, neutiquam undetriginta interciderunt versus, sed certissime parem desideramus numerum. Iam vero vide quid hinc efficiatur; non solum, quae de hoc loco disputavit Hauptius, parum recte se habent neque quidquam valent ad confirmandam Lachmanni paginarum dinumerationem, immo haec ipsa aedificii instar, cuius fundamentum diruitur, labat. Namque si ponimus versum 142 non fuisse paginae 66ª secundum, non fuit pagina 67 terminata carminis LXXIV versu ultimo neque carminum LXXXVII et LXXV disiunctio explicari potest[1]), sin vero versum 141 paginae 66 alterum fuisse negamus, concidit quod nonaginta uno retro versiculis eos versus, qui proxime versum 50 antecedunt, in ima pagina positos fuisse Hauptius concludit ex corruptelis, quae hoc loco reperiuntur. Ceterum minime inpugno, quod Hauptius finem paginarum peculiarem turbarum quasi sedem dicit, neque per se abhorret a probabilitate etiam hunc versum „iucundum cum aetas florida ver ageret“, qui cum eiusdem carminis sextus decimus sit, temere repetitus invenitur in omnibus libris post versum 49, in archetypo in fine paginae collocatum fuisse. Attamen Hauptius, cum post versum 46 hexametrum intercidisse videret — nam quae in D non nullisque deterioris notae libris extant verba „omnibus et triviis vulgetur fabula passim“

1) Inprobavi quidem quod ad explicandam horum carminum disiunctionem Hauptius de turbato paginarum ordine disputavit, nihilo tamen setius mihi ipsi persuasum est carmine LXXIV paginam aliquam finitam, proximarum autem ordinem turbatum fuisse, quod hic, ne quis perperam verba mea intellegeret, paucis monere volui, nam uberius infra de caussa illius disiunctionis disputabo.

non est dubium quin interpolatori debeantur, — eo progressus est, ut ipsam paginam 62 versu 46 terminatam, proximos autem tres versus omissos ante a librario minutis litteris additos fuisse in ima margine diceret; unde factum esse ait, ut priorem versum hexametrum dispicere non possent, qui multos post annos carmina in nova exemplaria transcripserint. Quod tamen credi vix potest, cum proximi versus 48. 49. et ipsi minutis litteris exarati ne minimam quidem labem — vacui ab omni vitio servati sunt in L — traxerint. Ideo et abfuisse illum versum iam a codice V neque concludi licere paginam 62 versu 46 terminatam fuisse mihi certe persuasum est.

Sed ut tandem pergamus, vereor ut magis Lachmanni opinioni faveat locus, qui extat in carmine LXV post versum octavum, quem in multis — pravis, si Datanum exceperis — libris sequitur hic versus „alloquar, audiero nunquam tua . . . . loquentem“. Quem versum omittunt meliores codices G et L, interstitio relicto in L. Errat autem Hauptius, quod l. c. p. 43 „ante eum (i. e. ante versum „alloquar“ etc.), inquit, quaedam excidisse lacuna demonstrat, quae in codice Santenii reperitur“, cum ex hac lacuna nihil aliud nisi intercidisse illum ipsum hexametrum adpareat. Itaque hinc nihil habet praesidii, quod Lachmannus inter v. 8 et 9 sex versus e c. LXVIII, 20—23 et 92—96 conflatos interposuit, quamvis haec ratio aliunde commendetur; nam desideratur conexus inter versus 8 et 9 neque deesse potest ante vocem „alloquar“ adlocutio fratris, quam Lachmannus restituit his verbis „nunquam ego te misero frater adempte mihi“. Nihilo minus quam huic vitio adhibuit, medicina tantum abest, ut hunc locum sanet, ut aliud ei vitium inferat: ne urgeam, quod „haec luctuosarum fraternae mortis querelarum eisdem verbis repetita iteratio“ non solum non praeclara esse, immo potius exilis mihi videtur ingenii, extenditur parenthesis, quae iam per se offendit nimia sua longitudine (v. 4—14), extra iustum modum. Quod cum alii[1]) tum Fr. Haasius sensit, qui in mi-

1) Laudandus est Rossbachius, qui rectissime de his versibus iudicavit in adnotatione critica ad hunc locum.

scellan. philol. libro III cap. 5 programm. Vratisl. a. 1861 p. 13 sqq. et huius carminis et centesimi primi pulchritudini optime consuluit exemtis ex illo versibus 9—14 et insertis in hoc post versum 6. Difficile quidem dictu est, qui factum sit ut illi versus in remotissimum locum transmigrarent, neque tamen hanc ob caussam perbonam Haasii emendationem inprobemus necesse est. Sed ne propositi nostri inmemores simus, haud scio an infringatur potius quam confirmetur hoc loco Lachmanni paginarum dinumeratio, de qua actum est me iudice, nisi leniora, quam quod Lachmannus adhibuit, sufficiunt remedia. Ut autem recte Lachmannus versus illos sex „Tu mea tu moriens" etc. interposuerit carmini LXV, nimiae tamen est audaciae putare propter opinionem praeiudicatam illos sex versus in archetypo servatos fuisse, cum e contrario eos non adfuisse omnium librorum consensus satis manifesto demonstret.

Nolo diutius morari in versibus LXIV, 334—337, quos in margine adscriptos fuisse, cum in plerisque codicibus omissi sint, recte fortasse suspicatur Hauptius, neque in eiusdem carminis versu 23, quem paginae alicuius ultimum fuisse quamvis pro certo adfirmari nequeat, admodum tamen credibile est; nam post eum unus intercidit versus, cuius dimidiam partem interpres Vergilii Veronensis servavit ad Aen. V, 80, quod in vertenda pagina factum esse facile conicitur. Sed adparet solis his locis nihil iuvari Lachmanni de archetypo opinionem. — Attamen pauca de altero loco monere non ineptum mihi visum est, quippe in quo unum adhuc restare vitium certissime persuasum habeam, quamquam recte in universum Hauptius locum restituit „Heroes salvete, deum genus, o bona matrum Progenies, salvete iterum". Offendo in verbis „o bona matrum progenies" prorsus ridicule dictis, quae non possunt a Catullo profecta esse nisi adiecto ad vocem „matrum" adiectivo aliquo, quo ipsae heroum matres beatae praedicentur propter filios. Quod etiam Heysius versione sua indicavit „Seid mir gegrüsst, Heroen, o götterentsprossene, froher

Mütter Geschlecht" etc. Tale adiectivum necessario, si quid sentio, requiritur, simul autem libere profiteor me non potuisse probabili emendatione tollere vitium, quod penitus inveteratum esse scholiastae illius docemur testimonio. — Missis igitur his, quae in transcursu monere voluimus, transimus cum Hauptio (p. 46) ad carminis LXIII versum 74, qui duabus syllabis brevior sic fere scriptus extat in codicibus D et L „roseis ut hinc labellis sonitus adiit". Ex permultis criticorum, qui hunc versum reficere studuerunt, conatibus Bentleii speciosissimam coniecturam „sonitus citus abiit" commemorasse sufficit. In qua tamen Lachmannus non adquievit, cum quod eiusdem carminis versui 14 „Aliena quae petentes velut exules loca" inepte additum est „celeri" vocabulum e versu 74 sumptum ideoque in hunc reducendum esse censeret: „Roseis ut huic labellis sonitus abiit celer". Quam emendationem adcuratae paginarum observationi deberi postquam indicavit, ut solet, Lachmannus, pluribus Hauptius exposuit; scilicet versus 74, si Lachmannum sequimur, duodevicesimus est paginae 41, versus 14 vero idem paginae 39. Quae ratio prima specie summo opere placet, sed simulac adcuratius eam consideramus, dilabitur illa species. Nam quo modo factum esse putemus, ut librarius illud „celer" ex pagina 41, 18 in paginam 39, 18 inferret? num forte credibile est eum unum folium retro vertisse? errore retro vertisse ibique illam vocem collocasse? — Nam consulto hoc a librario factum esse nemo opinor credet. — Mirus profecto error esset. Accedit, quod v. 14 non „celer", sed potius „celeri" scriptum est. Obstat autem Lachmanni non minus quam Bentleii emendationi ante omnia libri G aliorumque auctoritas, in quibus haec reperiuntur „roseis ut hinc labellis propalam sonitus adiit" [1]). Cui similem lectionem „propalam sonitus abit" Silligius in

1) Cfr. Rossbach. progr. Vratisl. 1859 p. 28; quod autem idem Rossbachius in adnotatione critica hanc lectionem non commemorat, sed in margine tantum Germanensem „palam" habere dicit, videtur Rossbachii neglegentiae tribuendum esse, quippe qui ipse Silligii excerptis usus sit.

epistola crit. de Catullo (Lipsiae MDCCCXXII) p. 54 e codicum non nullorum haud prorsus spernendorum — Statii dico et Dresdensem libros — scriptura „palam sonitus adiit“ eruit prudenterque commendat; recte enim ille, quo modo „palam“ e voce „propalam“ ortum esse veri sit simile, ostendit recteque iudicavit de huius vocis mensura, cuius prima syllaba licet producta sit apud Plautum mil. glor. IV, 8, 38 (ubi in uno codice item legitur omissa prima syllaba „palam“) et epid. I, 1, 10. et apud Terentianum Maurum 2327 (ed. Santen.) — aliis in versibus omnino non repperi hoc vocabulum —, tamen non est dubium, quin eadem etiam corripi potuerit. Nam „pro“ in compositis multo saepius corripitur quam producitur. Cfr. Luc. Muellerum de re metr. poett. Latin. p. 363. Denique etiam a sententia multo maiorem habet commendationem hoc „propalam sonitus abit“ quam Bentleii Lachmannique coniecturae, cum celeritatis notio fere nihil ad rem valeat, propalam autem verba sua protulisse apte hanc ob caussam dicatur Attis, quod Cybele ea percipit. Sed unum est, quod minus probaverim, tempus praesens „abit“, quod Silligius propter praesens „loquitur“ (v. 77) requiri putat. Etenim nusquam in hoc carmine coniunctiones „ut, ubi, simul“ praesens sequitur, sed constanti ratione tempus perfectum; contra in apodosi tum quoque praesens satis usitatum est, si praecedunt „simul, ut, ubi“ cum perfecto, ut v. 27—28 „simul Attis cecinit — thiasus ululat“, v. 35—36 „ut tetigere — capiunt“, v. 87—89 „ubi adiit et vidit — facit impetum“. Neque contractam perfecti formam „adit“ admittere ausim consulto, ut videtur, a poeta in hoc carmine vitatam; namque „adit“ v. 30 et „abit“ v. 38 praesentis temporis sunt, ubi vero perfectum ponendum erat, ibi adhibitae sunt formae non contractae „adiit“ v. 3 et „abiit“ v. 42. Quam ob rem huic loco ita videtur succurrendum esse ut aut scribamus „sonus“ pro „sonitus“ aut facillima transpositione totum versum sic conformemus „roseis ut huic labellis propalam abiit sonitus“ aut „sonitus propalam abiit“.

Postremo de lacuna disputavit Hauptius, quae deprehenditur post carminis LXII versum 32; ubi versus aliquot intercidisse consentiunt critici; sed ambigitur cum maxime de eorum numero. Scilicet fuere et qui sexaginta et qui quinque intercidisse putarent hexametros; illud Lachmannus statuit, qui „post p. 37 (i. e. carm. LXII, 32), inquit, vix dubitari potest, quin paginae duae h. e. 60 versus perierint, nam totum carmen ita videtur constitutum fuisse, ut primum iuvenes canerent 5 versus, tum puellae item 5, iuv. 8, pu. 6, iuv. 6, pu. 8, iuv. 7, pu. 7, iuv. 8, pu. 11, iuv. 9, pu. 9, iuv. 8, pu. 10, iuv. 10, pu. 8“ [1]. Quam in opinionem qua re adductus sit Lachmannus, facile cognoscitur: etiam hoc vitio probari voluit opinionem suam de pristina Veronensis libri forma. Attamen errasse eum vel Hauptius concessit, nam et iustam aequabilitatem in Lachmanni ratione monet desiderari et Hesperi laudationem et vituperationem, quae lacuna illa interruptae sunt, per novem et septuaginta versus non posse continuari recte sensit. Neque vero ipse veritatem adsecutus est, nam unam archetypi paginam (i. e. 30 versus) intercidisse ratus et totum carmen sic constituens:

5 5 9 6 6 1 + VIII X X II + 10 10 8
i p i p i p i p i p i i

neutrum vitium prorsus sustulit; symmetriae enim legem hanc esse arbitror, ut non solum versuum numero strophis antistrophae pares sint, sed etiam argumento antistrophae strophis, singuli singulis versibus respondeant. A qua tamen norma, quam adcurate servatam esse videmus his strophis: 1—5 = 6—10. 20—25 = 26—31, paulisper turbatam his: 39—49 = 49—58 [2], maxime abhorret, quod versum 32 et

1) Hanc sententiam Lachmannus in editione sua, quae Berol. 1829 prodiit, declaravit; qui Lachmanni editionem a. 1861 repetiit — est autem haud dubie M. Hauptius — eam tacere maluit.

2) Post tertium strophae hexametrum unum intercidisse versum et in fine antistrophae intercalarem Spengelius (Seebode's neues Archiv III, 4 p. 101.), G. Hermannus (Iahn's Iahrb. XXII p. 309.), Froehlichius (Münch.

eorum, qui post hunc interciderint, proximos octo tertiae strophae v. 11—19 respondisse statuit Hauptius; nam quid puellae inde a versu 32 dixerint, dubium esse nequit: scilicet accusant Hesperum furti, cui strophae non illa respondet, qua iuvenes animum ad ineundum certamen adparant, sed haec potius, cuius servati sunt sex versus 33—38; namque hac defendi Hesperum a furti crimine apertum est. Quae vero strophae cum argumento artissime conexae sint, non possunt divelli aliis interiectis versibus. Unde minus triginta hexametros post versum 32 desiderari liquet neque comprobari hinc Lachmanni paginarum distributionem. Omnino autem lacunam illam Veronensi codice antiquiorem esse non nulla sunt, quae suadere videantur, veluti quod eidem versus etiam a Thuaneo libro [1]) absunt, quem origine ad illum referendum esse neque Hauptius l. c. p. 48 neque Leutschius l. c. p. 1980 sq. mihi persuasit; qui quidem viri quod hac ipsa lacuna nituntur, valde miror. Quidni statuere licet codices V et T uno fluxisse e fonte, in quo iam interciderant illi versus? Hanc tamen quaestionem, ne disputationis meae cursum nimis retardem, nunc missam facio postea ad eam rediturus. Sed ut derivatus sit Thuani liber e V, difficile est ad explicandum, quo modo factum sit, ut et T et Catulli codices idem triginta versuum damnum contraherent; num forte putabimus paginam archetypi, quae continebat triginta illos versus, adeo deletam fuisse, ut neque qui priore tempore carmen LXII neque qui saeculo XIV totum Catulli librum in nova exemplaria transcripserunt, ullum versum dispicere possent? An plurium librariorum pari errore versus illos intercidisse credibile est? Quae omnia in propatulo est quanto opere abhorreant a probabilitate.

Acad. V p. 235 sqq.), Leutschius (Goetting. gel. Anz. 1855 p. 1993 sqq.) consentiunt, quibus maxime adstipulor.

1) Thuaneus liber (in bibliotheca Parisina 8071), quem saeculo X scriptum esse homines docti consentiunt, praeter alia Latina carmina exhibet Catulli epithalamium; de quo libro postea pauca disseram.

Sic perlustratis omnibus deinceps argumentis, quibus Hauptius Lachmanni paginarum distributionem comprobare conatus est, quid ego de hac iudicem, manifestum est. Quae prima licet specie valde adrideat, unde factum esse puto, ut etiam nunc permulti homines docti in Lachmanni opinione adquiescant, adcuratius tamen rem perpendenti non dubito, quin longe secus iudicandum sit; nam omnia fere, quibus Lachmannus Hauptiusque nituntur argumenta parum sufficere ad opinionem illam tutandam satis mihi videor ostendisse. Quos viros in eo potissimum peccasse adparet, quod nimiam tribuentes Veronensi codici auctoritatem ab hoc tantum non omnium corruptelarum repetierunt originem, quasi Catulli carmina nullis antea contaminata fuissent vitiis. Qua in re quam longe a vero aberraverint, luculentissima exempla proposui c. LXV, 9 sqq. et c. LXII, 32 sqq., ubi quos intercidisse aut constat aut Lachmannus Hauptiusque contendunt versus hi in archetypo servatos fuisse arbitrantur. Hic maxime videre licet, quo licentiae, ne dicam violentiae, illi progressi sint, qui propter opinionem praeiudicatam, prout commodum postulat, nihil metuunt adfirmare singulos pluresve versus in archetypi paginarum margine positos fuisse neque debere numerari, alios rursus, qui nunc desiderentur, in archetypo extitisse ideoque numerandos esse. Scilicet aliter ratio non constat. Sic falso statuerunt inter carminis I versus 8 et 9 duos perscriptos fuisse in codice V hendecasyllabos. Nolo pluribus de eo disceptare, utrum re vera perierint hic duo versiculi necne, id tantum demonstrare mihi proposui nihil esse, unde concludi possit illos versus etiam in archetypo servatos fuisse. Qua in quaestione unice codicum auctoritas respicienda est, quorum nullus, quotquot hodie extant, lacunae indicium exhibet; neque quidquam valet, quod Leutschius l. c. p. 1991 Muretum in libro suo, qui ubi terrarum nunc lateat nondum exploratum est, post verba „qualecunque quidem“ lacunam repperisse commemorat, cum in hoc libro sicut in eo, quo Fruterius usus est, nullum inter hunc et proximos versus in-

terstitium sit, sed altera tantum versus noni dimidia pars desideretur. Perperam igitur Lachmannus et Hauptius duorum versuum interstitium hic posuerunt, quod nunquam eos facturos fuisse adducor ut credam, nisi utique adaptare voluissent Catulli carmina illi, quam Lachmannus invenit, archetypi formae. Quo studio haud raro factum est, ut praeclari illi viri, quibus qui magis de emendandis his carminibus meritus sit neminem novi, a recta artis criticae via aberrarent. Sed haec spero fore ut sufficiant ad refutandam Lachmanni opinionem, quam licet maxime inpugnaverim non possum tamen quin speciosissimam dicam.

Longe aliter sentio de Froehnero, qui et ipse archetypi formam restituere conatus est philol. XIV p. 574—577; nam hic quid recte aut speciose saltem proposuerit, non invenio. Sed nolo totam computationem eius pluribus tentare, pauca tamquam specimina electurus, unde iudicium satis certum conformare liceat. Froehnerus igitur statuit in singulis Veronensis exemplaris paginis versus tricenos binos perscriptos fuisse. Inprobavi iam in exordio huius dissertationis cum omnino quod titulos in illo carminibus praefixos fuisse, tum maxime quod in his titulis codicis Datani normam adcurate sequendam esse dicit; erravit et in hac re et in aliis hanc ob caussam, quod codici D nimium tribuit prae ceteris pretium. Unde factum est, ut quae quin soli illi librario, qui Datanum exaravit, tribuenda sint vitia dubitari nequit, ex ipso archetypo repeteret. Quod paucis exemplis inlustrabo: Carminis LXII versus 54 et 55 „At si forte eadem est ulmo coniuncta marito, Multi illam agricolae, multi coluere iuvenci“, qui in omnibus libris nisi in D extant, ab archetypo abiudicat Froehnerus nihil curans, unde illi in reliquos libros inrepserint, quod profecto, etiam si curaret, nunquam reperiret. Simplicissimam rem quam brevissime exponam: cum versus quinquagesimus tertius et quintus in eadem verba „coluere iuvenci“ exeant, librarius, postquam priorem descripsit, errore omissis duobus hexametris ad versum 56 transiit; itaque solius codicis D

vitium est, quod Froehnerum fugisse eo magis miror, quo saepius idem vitium in hoc libro deprehenditur. Nec tamen melius reliquis locis omissorum versuum caussam perspexit. Sic carminis XXXIX versus 4 et 5 propterea ait deesse in D, quod aut legi non potuerint aut in vertenda pagina praetermissi sint, quamquam librarium parum diligentem aberrasse manifestum est a versus quarti vocabulis „renidet ille“ ad eadem versus sexti verba. Ceterum quod hos versiculos non sicut illos c. LXII, 54. 55. ex archetypo eximit, comprobo quidem, sed desidero in tali ratione iustam constantiam. Magis etiam miror, quod in fine paginae 70 tres versus c. XCVIII, 2—4 praetermissos esse dicit, cum non tres, sed quattuor (XCVIII, 2—5) potius in D interciderint, quorum ultimum „Si nos omnino vis omnes perdere Victi“ non dubitat Froehnerus in initio proximae paginae 71 collocare. Quod pluribus refellere non est operae pretium; restat hoc unum, ut librarium indicem pari exitu versuum 1 et 5, quorum uterque nomine „Victi“ finitur, in eundem errorem inductum esse, quem c. LXII, 54. 55 et c. XXXIX, 4. 5 cognovimus. Sed ut omnia, quae huc pertinent, enarrem, omisit Dati liber carminis XLII versum 12 „redde putida moecha codicillos“, quippe qui fere totus congruat cum versu 11. — C. LXIV, 257—259 vox „pars“, a qua tres versus sese excipientes incipiunt, caussa fuit, cur medius intercideret. Neque alia caussa excogitari potest, cur c. LXI v. 141 desideretur. Et fortase vocabulorum „noli“ et „nulli“, a quibus incipiunt carmina LXIX et LXX, factum est similitudine, ut prius carmen totum omitteretur, quamvis hoc non temere adfirmaverim [1]). Id autem mihi pro

1) Ut versus, ita etiam singula vocabula in codice D eodem casu haud raro absorpta sunt, ut „mihi“ c. IX, 2 „antistans mihi milibus trecentis“, „me“ c. XCIX, 4 „suffixum in summa me memini etc.“, „iam“ c. XCIX 16 „nunquam iam posthac“ etc. — Quae omnia uberius tractavi, non quasi putarem tales lacunas unius codicis D proprias esse, sed quia originem earum Froehnerus parum intellexit, licet hoc corruptelarum genus in D frequentius sit, quam in reliquis libris Catullianis. Nam non minus vitiis quam bonitate sua fere singularis est D.

comperto est non abfuisse carmen, ut Froehnerus vult, ab archetypo. — Permulta quidem restant refutatione et vituperatione dignissima, ad nostrum tamen consilium pauca notasse sufficiet. Haud scio an gravissimum temeritatis sit documentum, quod Froehnerus decem versus „non custos si fingar ille Cretum — Essem te mihi (vel fortasse m i) amice quaeritando“ ad carmen LV referendos, qui tamen in omnibus codicibus falso loco positi post c. LVIII reperiuntur, bis in Veronensi scriptos fuisse putat et post c. LV, 13, ubi verum eorum locum esse primus intellexit Lachmannus, et post c. LVIII. In carmine LXII Froehnerus versus intercalares 10. 19. 25. 31. 38. 48. 66, quibus proprium locum concessum fuisse negat, sola voce „Hymen“ in fine eorum versuum, qui proxime antecedant, posita contendit indicatos esse. Quod unde concludi possit, vellem ipse ostendisset. — De carminis LXIV versu 23 et sequente antea locuti probavimus , quod Hauptius e scholiasta Veronensi ad Vergilii Aen. V, 80 hoc hemistichium „progenies salvete iterum“ Catullo restituit. Quid vero iudicabimus de Froehnero, qui illi versiculo, cuius in nostris libris ne vestigium quidem extat, sedem in archetypo tribuit? — Haud rectius idem carminis LXI versus 107 et 108 numerat et carmen XIV^{b}, cuius tres restant hendecasyllabi, sex versuum spatium in V explevisse opinatur, hunc ipsum autem codicem correctoris manum expertum esse, qui propter verborum obscoenitatem cum alios tum illos, quos commemoravi, locos extinxerit. Eiusdem pudici correctoris vestigium deprehendere sibi visus est in fragmento carminis II^{b}, et in carminis XXV versu 5. Quam opinionem ut, quantum in transcursu fieri licet, examinemus, omnes illos locos maxime depravatos esse minime negaverim, et ita quidem, ut de c. II^{b}, XIV^{b}, LXI, 107 sqq. restituendis vix quisquam cogitaverit, quippe ubi plures versus perierint, carminis XXV autem versus quintus certe nondum digne Catullo emendatus criticorum manus reliquisse dicendus sit; hoc tamen

defendere audeo nullam his locis obscoenitatem cognosci. Nam quo iure e tribus illis versibus II^{b}, „tam gratum est mihi“ etc. Froehnerus reliquos eiusdem carminis versiculos parum pudicos fuisse concludat, non intellego, nisi forte in verbis „zonam soluit“ offendit, quae tamen nihil aliud significant nisi „coniugium inire, marito tradi“ [1]). Fragmentum vero hoc XIV^{b}, „si qui forte“ etc. tantum abest, ut lubricum sit, ut potius purgasse se videatur Catullus hoc carmine de ineptiis suis i. e. de iocis minus pudicis. Alienissima est quaevis lascivia a carmine LXI, quod in ipsa Fescenninae locutionis imitatione (v. 122 sqq.) cernitur, in qua nihil indecore et verecundiae huius carminis minus convenienter dictum est. Denique pluribus quidem non necesse est obscoenitatem, quam carminis XXV versui 5 Froehnerus intulit scribendo „lasciva mulier ut nates ostendit oscitantes,“ removeam, postquam Schwenckius in mus. Rhen. XIII p. 149 Froehneri inventum recte refutavit, non possum tamen, quin hac occasione utar, ut meam ipsius qualemcunque sententiam de versu desperatissimo proponam. Nam nitori suo restitutus esse hic locus nemini videbitur, quamquam quot viri in emendandis Catulli carminibus operam posuerunt, totidem coniecturae prolatae sunt [2]). Ipse vero, quamvis emendationem satis certam non habeam in promptu, viam certe, qua me iudice vera poetae verba recuperari possint, conabor demonstrare. Critici enim fere omnes quod hoc versu putarunt procellae imaginem continuari, nisi quid me fallit, errarunt; sed quid tandem desideratur in hoc carmine? haud dubie occasionis significatio, qua Thallus ad furta sua perficienda utatur. Quod cum reputarem mecum, in mentem venit carmen XII, quo Asinius dicitur in

---

1) Aliam notionem habet Graecorum ζώνην sive μίτραν λύειν. Cfr. de hac discrepantia Scaligeri castig. in Catull. p. 9.

2) Si quis adcuratiorem corruptelae huius loci et coniecturarum notitiam sibi parare vult, adeat I. Pohli „lectionum Catullianarum specimen“ diss. phil. Monast. MDCCCLX p. 37 sq.

ioco atque vino neglegentiorum tollere lintea. Eandem autem occasionem significatam esse carmine XXV plus unum extat indicium; nonne adcurate quadrat participium „oscitantes“ (XXV, 5) ad illud „neglegentiorum“ (XII, 3.)? nonne utroque vocabulo aptissime notantur convivae, qui temulentia defatigati animum adtendere nequeant? Pergamus. Age consideremus, quid Thallus involasse dicatur: sudaria Saetaba, pallium, catagraphos Thynos. Et sudaria quidem Saetaba etiam Asinius ille in ioco atque vino surripuit (c. XII, 14), pallium autem et catagraphi Thyni non minus bene item in cena locum habent. Nam quid sit catagraphus Thynus pro certo quidem nondum exploratum est, nec tamen dubito, quin Catullus eos ut rem pretiosissimam et rarissimam convivis ostenderit; pallium denique i. e. vestem longam, quae tunicae superinduebatur, ponebant Romani, ut suspicor, commoditatis caussa inter convivium. Itaque ea, quam diximus, occasione furta fecisse Thallum plurimos videtur habere probabilitatis numeros. His perpensis post diuturnam cogitationem in hanc incidi coniecturam:

„Conviva cum mero gravis se ostendit oscitantem“, quam ut omnibus numeris absolutam esse credam, longissime abest, quamquam a codicum lectionibus „cum diva mulier aves (aries, arios, alios) ostendit oscitantes“ ne nimis recederem, quantum potui, cavi. — Sed satis superque de hoc loco egimus, cum id tantum nobis propositum sit, hunc versum a quavis obscoenitate liberum esse ut ostendamus, quod, ni fallor, adsecuti sumus. Omnino autem concidet, quam Froehnerus de correctore protulit, sententia, si non nullos Catulli locos vere obscoenos indicaverimus, quales extant in carminibus LVI. LXXX. LXXXVIII. XCVII aliisque. Haec dico carmina si pudicus ille corrector removere non ausus est, nunquam mihi probabitur alios locos minus lubricos atque adeo omnino puros illam ob caussam expunctos esse. Sed haec de Froehnero monuisse satis erit, cuius fusius refutare commenta operae non est pretium.

1) Aliam suspitionem, quae mihi orta est, tacere nolui:, aut plures Catulli nobiles amici fuerunt, qui sudaria eius Saetaba nimis adamarent aut eundem utroque carmine XII et XXV hominem castigari statuendum est. Quod si verum est, Asinium adparet Pollionis fratrem carmine XXV nomine ficto Thallum adpellari, quod inde haberet probabilitatem, si Pollionis fratri nomen Gallo fuisse novissemus. Et filio quidem Pollionis hoc cognomen fuisse notissimum est, de fratre autem, quod sciam, nihil constat. Sed haec mera est suspitio, quam haud parvis difficultatibus laborare optime sentio.

Quod denique relicum est, ut meam ipsius sententiam aperiam, penitus mihi persuasum est nullum fere nasci e cognitione paginarum in archetypo partitionis lucrum. Nihilo minus quid cognosci possit, ostendam. Inprobavimus quidem Lachmanni opinionem, idem vero singula haud raro recte observavit, nam extant vestigia quaedam quamvis pauca paginarum et versuum distributionis, quam tamen archetypo antiquiorem esse arbitror. Maxime huc refero, quod carminis L versus 16 et 17 iterum leguntur triginta versibus infra post c. LIV, 1, quod item bis legitur c. LXVIII, 16 et suo loco et interpositis duobus vel tribus et triginta hexametris post versum 49, quod decem hi versus „non custos si fingar ille Cretum“ etc., cum in codicibus carmen LVIII excipiant, a genuino loco versiculis uno et viginti distant. Recte enim hos primus Lachmannus in carmine LV post versum 13 collocavit. His locis de pari fere versuum numero agitur, unde non sine probabili caussa suspitio oritur tricenos singulos vel binos versus in paginis antiqui alicuius exemplaris perscriptos fuisse, fortasse eius exemplaris, unde Catulli carmina in codicem V transcripta sunt. Nam quin eidem illi versus iam in V eisdem locis positi fuerint, ubi deprehenduntur in nostris libris, propter horum consensum dubitari nequit; illae vero perturbationes tales sunt, ut non liceat quidquam inde concludere de paginarum distributione eius codicis, ubi primum extiterunt, sed de illo solo, unde carmina in hunc translata sunt. Sed ne obscurus sim, rem exemplo inlustrabo: sumimus antiquioris exemplaris paginas tricenis binis

constitisse versibus, carminis L autem versum 16 primum fuisse paginae alicuius, iam c. LIV v. 1 haud dubie ultimus erat eiusdem paginae; quam cum librarius, qui Veronensem codicem exaravit, absolvisset, — utrum in V pagina finita fuerit necne, nihil refert, — priusquam ad proximae paginae initium transiit, errore ad initium eiusdem, quam modo confecerat, rediit et carminis L versus 16 et 17 denuo descripsit. Aliam harum turbarum originem cogitare non possum. Itaque hanc et paginarum et versuum dinumerationem codice V antiquiorem esse adfirmare non cunctor. Sed etiam alius, quam codicis V fuisse veri multo similius est, unum reperitur dinumerationis vestigium, disiunctos dico versus LXXXVII, 1—4 et LXXV, 1—4, qui quin unius carminis sint, non est dubium. Quod carmen diremptum esse perturbato paginarum aliquot ordine Lachmannus et Hauptius admodum probabiliter coniecerunt, abhorret autem a vero, quod eidem trium paginarum ordinem mutatum esse volunt, id quod antea ostendi. Haec potius est res: Carmine LXXXVII unius folii aversa pagina finita erat, proximi folii adversa incipiebat a carmine LXXV; haec igitur folia, quae binas comprehenderunt paginas, in antiquo codice non librarii errore, sed alio casu commutarunt locum; unde factum est, ut eiusdem carminis dimidiae partes disicerentur. Simul adparet omnia carmina inde a septuagesimo quinto usque ad octogesimum octavum duorum foliorum vel quattuor paginarum spatium explevisse; constant haec carmina versibus octo et nonaginta, e quibus tamen versus sex, c. LXXVIII, 7—10 „sed nunc id doleo“ etc. et c. LXXXIV, 3—4 „et tum mirifice“ etc. non in ipso versuum ordine, sed in margine tantum adscriptos fuisse credibile est, — cfr. Haupt. quaest. Cat. p. 40 et quae antea disputavi — itaque nonaginta duo versus in quattuor paginas distribuendi sunt. Unde vicenos trinos consectarium est in singulis paginis scriptos fuisse versus. Carminum autem pristinus ordo hic fuit:

p. 1. c. LXXX (8 v.), LXXXI (6 v.), LXXXII (4 v.), LXXXIII, 1—5 (5 v.) = 23 v.

p. 2. c. LXXXIII, 6 (1 v.) LXXXIV, 1—2. 5—12 (10 v.) LXXXV (2 v.), LXXXVI (6 v.) LXXXVII (4 v.) = 23 v.

p. 3. c. LXXV (4 v.), c. LXXVI, 1—19 (19 v.) = 23 v.

p. 4. c LXXVI, 20—26 (7 v.), LXXVII (6 v.), LXXVIII (6 v.), LXXIX (4 v.) = 23 v.

Qua simplicissima ratione caussam disiunctionis carminum, quae vulgo numerantur LXXXVII et LXXV, explicuisse, pristinum non nullorum certe carminum ordinem restituisse, denique legitimum singularum paginarum versuum numerum repperisse mihi videor. Sed ne haec quidem prorsus certa sunt; quis enim negaverit potuisse alio casu carmina LXXXVII et LXXV disiungi? praesertim cum alia, quibus haec paginarum dinumeratio comprobetur, vestigia non invenerim. Itaque totam hanc quaestionem ut inextricabilem et parum fructuosam relinquo, pauca de antiquissimis eorum, qui nunc extant, codicum disputaturus.

Catulli librorum, qui ad nos pervenerunt, nullus, si Thuaneum (bibliothecae Parisinae n. 8071) exceperis, qui inter alia Latina carmina Catulli epithalamium continet, saeculum quartum decimum vetustate superat. Egerunt de cod. Thuani Hauptius in quaest. Catull. p. 28 sqq. et in praefat. ad Ovidii halieutica (Lips. 1838) pagina XII sq. atque Leutschius in Goett. gel. Anz. 1855 p. 1979 sqq. Iam ipse de eo verba facturus id mihi proposui, ut quae inter Thuaneum et Catulli libros intercedat ratio quantumque pretium illi tribuendum sit ostendam.

Scriptum esse Thuani librum saeculo decimo i. e. fere eodem tempore, quo Ratherius Veronae anticum Catulli exemplar in lucem protraxit, omnium, qui eum inspexerunt, virorum doctorum consensu constat, unde tamen quo minus praepopere concludamus librarium, qui eum exaravit, ex ipso illo Ratherii exemplari Catulli epithalamium sumpsisse, gravissima obstat codicis Vindobonensis 277 auctoritas, cuius antiquissimae membranae undeviginti — constat enim ex

partibus cum argumento tum aetate inter se dissimillimis[1]) — saeculo nono non inferiores exhibent carminis Eucheriae versus postremos duodecim, halieutica Ovidii, unum Sidonii Apollinaris epigramma, Gratii cynegetica, non nulla denique Martialis epigrammata i. e. ea carmina, quae prorsus eodem ordine extant in codice T; in hoc autem integrum Eucheriae carmen praecedunt Iuvenalis satirae, Martialis epigrammata, Catulli epithalamium, carmina aliquot Latina minora; contra idem liber desinit in Gratii cynegeticorum medio versu 159. Adparet igitur librum Vindobonensem in initio mutilum esse, Thuaneum in fine; cum integer esset uterque liber, non dubito, quin pleraque eis communia fuerint, certe illud epithalamium[2]) et minora, quae hoc in T excipiunt, carmina, praesertim si vere conicit Hauptius Ovid. hali. praef. p. XIII aut T e Vindobonensi descriptum aut ex alio antiquiore codice carmina illa in utrumque librum transcripta esse. Itaque errat Heysius certissime, quod p. 280 Ratherii dicit aetate anthologiam codicis T compositam esse. Nos potius id tenebimus eam exeunte saeculo nono iam extitisse, certius autem nihil effici potest; nam quod Leutschius l. c. p. 1980 eam citra saeculum sextum ortam esse negat, idoneis certe argumentis non comprobavit neque, quod contra Hauptium quaest. Cat. p. 2 et 92 monuit non lectitasse Isidorum Hispalensem saeculo septimo Catulli carmina, mihi persuasit. Hoc tamen ipse crediderim anthologiam illam non multo recentiorem esse Isidoro, quippe post quem nulla Catulli vestigia adpareant. Iam vero quid ex ipsis codicis lectionibus cognosci possit videamus, quas primum a Lachmanno adlatas Hauptius quaest. Catull. pag. 28 partim correxit partim accessionibus auxit.

1) Cfr. Hauptium Ovid. hali. praef. p. 6, e quo libello omnem meam de codice Vindobonensi hausi notitiam.

2) Errat Leutschius, quod l. c. p. 1974 dicit Catulli epithalamium servatum esse in codice Vindobonensi; carmina, quae insunt in hoc libro, supra enumeravi auctore Hauptio l. c. p. VII.

Quae lectiones Leutschio l. c. p. 1981 tanto opere congruere visae sunt cum libris Catullianis saeculis XIV et XV exaratis, ut hinc et maxime ex lacuna, quae et in his et in T reperitur post versum 32, e codice V Catulli carmen LXII in anthologiam illam receptum esse concluderet. Quam opinionem, quae plerorumque criticorum videtur communis esse, iam probaverat Hauptius l. c. p. 48. Et adparet quidem ex illa lacuna haud obscure propinquam cognationem intercessisse inter Veronensem et Thuaneum libros, nihil vero amplius. Nonne vero aptissimam habet explicationem consensus ille, si ex eodem libro hexametris post versum 32 iam deperditis et in V et in anthologiae codicem carmen LXII venisse statuimus? Hoc autem re vera persuasum habeo cum propter singularum lectionum discrepantias tum propter unum versum, qui in solo Thuaneo extat. Quod si quis velit cognoscere, haec ei instituenda erit via: ubi nostri libri — meliores dico GDL — in aliqua lectione consentiunt, ibi archetypi ipsius lectionem nobis servatam esse certo confidere possumus, a qua lectione ubi recedit Thuaneus, expendendum est, num discrepantiam eius credibile sit ortam esse ex illius lectione. Et profecto hic illic, maxime ubi T corrupta, integra autem Catulli verba GDL exhibent, illius lectiones non obstant, quo minus Thuaneum derivatum esse dicamus e Veronensi archetypo. Huc et alia referenda sunt et quod v. 35 pro „eosdem", quod Catulli libri praebent et vere Catullianum esse arbitror, scriptum est „eospem." Quo de ne verbum quidem facerem, nisi Leutschium viderem l. c. p. 1980 miram huius corruptelae protulisse explicationem. Qui quidem syllabam „pem" e corrupto verbo „comperendis" putat in finem versus venisse comprobata Schraderi coniectura, qui „comprendis nomine Eous" scribendum proposuerat. Scilicet non vidit Leutschius, quod ante pedes erat, cum multo simplicior res sit: commutavit librarius litteras D et P, quod saepe factum esse nemo ignorat. Ex ipsius Catulli codicibus haec exempla adtulisse sufficiet c. XVI, I. GD dedicabo, XVI, 23 D

dedicabo, XXI, 4 G dedicare (pro pedicabo et pedicare[1]), XXI, 9 DG ipsi (id si), LXXXXVI, 2 D accipere (accidere), LXXXXVII, 5 G. sesequededales, L. seseque dedalis (sesquipedalis). Unde non est dubium, quin c. LXII, 35 illud „eospem“ e vera lectione „eosdem“ depravatum sit; itaque neque haec neque aliae eius modi discrepantiae satis valent, ut librarium, qui anthologiam codicis T composuit, negemus Catulli epithalamium e Veronensi sumpsisse libro. Aliis contra locis, praesertim ubi omnium librorum consensu archetypus convincitur foedatus fuisse, T autem solus veram poetae manum servavit, quod quidem persaepe factum esse videmus, haud facile intellexeris, unde hauserit T lectiones suas, si hunc ex illo derivatum esse statuimus. Sic hae lectiones v. 7. oeta eos (DGL hoc eos), 9. quod — par est (quo parent), 12. innuptae secum (innuptaeque secum), 17. nunc (non), convertite (committite), 27. 57. conubia. conubium (connubia. connubium), 28, quae (quo), 40. convolsus (contusus), 45. suis est (sui sed), 63. t. patris pars est data t. m. (t. pars patri data pars data t. m.), quae aut aperte verae sunt aut praestant certe reliquorum codicum lectionibus aut denique veri vestigia retinuerunt, unde in anthologiam receptae sint, nullo modo probabiliter explicabit, qui huc carmen illud e Catulli codice V transcriptum esse putat. Sed magis etiam obstat huic opinioni versus 14 „nec mirum, penitus quae tota mente laborant“, qui in solo T legitur, namque hunc ab archetypo abfuisse me iudice inde efficitur, quod ab omnibus nostris libris abest. Sensit hoc iam Lachmannus, qui nullum ei in versuum ordine locum concessit, etsi hoc non probaverim, quod eum omnino reiecisse videtur ut Catullo indignum. Attamen sunt, qui aliter de hoc versu iudicent, Hauptius quaest. Cat. p. 48, quamquam hic minus confidenter loquitur, et ante omnes Leut-

1) Nam sic hoc verbum scribendum esse contendit Buechelerus mus. Rhen. XIII p. 153—155 refutata forma „paedicare“; quae opinio haud scio an illis exemplis e Catulli codicibus adlatis confirmetur.

schius l. c. p. 1981. Quorum Hauptius nullam aliam ob caussam et omnino Thuani codicem et simul cum eo versum illum origine referendum esse putat ad archetypum, nisi propter lacunam quae est post versum 32. Quod argumentum quam parvi ponderis sit, proxime ostendimus. Maiore cum confidentia progreditur Leutschius, cui tanta inter Catulli codicum et Thuanei lectiones intercedere videtur similitudo, ut e Veronensi codice, unde illi fluxerunt, hunc quoque Catulli carmen LXII cum versu 14 mutuatum esse opinetur; et duplicem quidem, qua versum in archetypo fuisse veri similius redderet, excogitavit rationem aut dignosci non potuisse eum aut per neglegentiam praetermissum esse a librariis, qui saeculis XIV et XV nova Catulli exemplaria fecerint. At neutra ratio mihi placet; namque ut illam primo absolvam, neque idoneam caussam reperio, unde factum esse putem, ut ille versus tanto opere obliteraretur, neque dubito, quin hoc si verum esset, librarius aliquis interstitio relicto, ut alibi factum est, indicaturus fuerit. Alteram autem rationem, quae ipsi Leutschio priori videtur praestare, inde commendari hic arbitratur, quod constat Mureto aliisque, qui saeculo XVI Catulli carmina ediderunt, versum notum fuisse. Hoc iam Hauptius monuerat, qui tamen ea, qua par erat, cautione usus in medio reliquit, num primus cum Muretus protulerit atque ex ipso fortasse Thuani codice sumpserit. Nam quod Muretus eum novit, minime inde sequitur scriptum eum in Catulli codicibus et ex archetypo quidem huc translatum esse. Nos potius iure nostro contendimus, nisi libri manu scripti inveniantur illo versu locupletati, in quos ex Thuani codice eum venisse non credibile est — quod profecto nunquam factum iri mihi persuasum est, — eum neque a Mureto in Catulli codicibus repertum esse neque in archetypo locum habuisse, cum in omnibus libris, qui huc usque innotuerunt, desideretur. Ceterum non tanta est similitudo Thuanei et reliquorum codicum, ut veri sit simile illum ex horum archetypo derivatum esse; nam qui adcuratius et illius et horum lectiones inspexerit, facile obser-

vabit codices GDL, ubi in vitiis consentiunt, plerumque ab illo dissentire. Quae vero vitia horum et illius communia sunt, — sunt autem perpauca — ea codice V vetustiora esse dicenda sunt, quod nemini mirum videbitur, qui meminerit queri iam Gellium VI (VII), 20, 6 de corruptis Catulli exemplaribus. Itaque iterum profiteor, quod sentio, codici Thuaneo propinquam cognationem fuisse cum Veronensi nec tamen illum ex hoc, sed utrumque librum e communi fluxisse fonte, et Veronensem quidem recta via, Thuaneum autem uno certe libro intercedente. Talem fere sententiam iam Heysius p. 280 paucis indicavit, quem vero vidimus veris falsa admiscuisse, dum anthologiam Ratherii aetate compositam esse dicit. Ex his adparet pretio in universum pares esse meliores Catulli codices DGL et Thuaneum, ita ut modo hic modo illi sequendi sint; attamen paulo adcuratius rem gessisse videtur qui epithalamium in anthologiam transcripsit, quam qui Veronensem codicem exaravit.

Haec videbantur proferenda esse de Thuani codice, commemoravimus autem saepissime Germanensem ut bonum librum, quod ne temere fecisse dicar, argumenta nunc promam. Et primum quidem hic liber, cum scriptus sit anno 1375, — quod subscriptione docemur, quae in ultimo huius codicis folio reperitur, — omnes reliquos antiquitate superat. Hinc si nihil aliud, tamen hoc certe liquet pendere hunc librum a nullo eorum, qui praeterea hodie extant. Eam ipsam ob caussam adcuratiore perscrutatione dignus est, quam quae huc usque ei obtigit. Nam Lachmannus, qui aliorum librorum Parisinorum, maxime libri 7989 (P_1), codicis multo deterioris, lectiones haud raro adnotavit, Germanensis ne mentionem quidem iniecit; neque magis eum respexit Hauptius, cuius maxima post Lachmannum de carminibus Catulli perpoliendis sunt merita. Aliquantulum aucta est notitia huius exemplaris, ex quo Rossbachius Silligii excerptis, quae hic in itinere Francogallico fecerat, usus pauca in adnotationem criticam editioni suae Catulli praemissam recepit. Unde quo magis intellegebam codicem G nihil optimis libris cedere, eo acrius dolebam, quod nusquam constanti ratione omnes eius discrepantias enotatas esse putabam. Qua re factum est, ut non mediocri adficerer gaudio, cum casu quodam audirem Silligii collationem librorum Parisinorum foras datam esse a Rossbachio in programmate Vratislaviensi a. MDCCCLIX. Quod programma a viris doctis, ut videtur, prorsus neglectum cum contineat, ut deteriores libros omittam, discrepantias codicis G, in usum meum convertere constitui. Cum vero hanc collationem cum editione Catulli Amariana (Catullus et Tibullus ed. I. A. Amar. Parisiis 1821), ad cuius normam Silligius varias lectiones codicum Parisinorum descripserat, conferrem, mox suspitio mihi orta est eam non satis diligenter factam esse; atque id magis magisque in dies didici. Etenim ne urgeam, quod discrepantiae orthographicae, opinor ut minutiae, — quamquam nostris temporibus nihil parvi facere philologi adsueverunt, — nunquam adnotatae sunt, profecto excusari non potest, quod ne illic quidem, ubi recentiorum criticorum coniecturae in Amari editionem receptae sunt, Silligius aut Rossbachius, — nam utri maior culpae pars tribuenda sit, dubito — quid codex G praebeat, monuerunt. Qua re summa diligentia hoc mihi cavendum esse videbatur, ne quid e silentio concluderem; itaque caute me adplicabo ad ea verba, quae re vera e codice G notavit Silligius. Spero tamen fore, ut sic quoque non nihil possim conferre ad codicem illum recte aestimandum.

Nemini vero mirum puto videbitur, quod hanc maxime quaestionem instituo, utrum ex ipso archetypo Catulli carmina in codicem G transcripta sint necne; facile enim intellegitur, quantum eius auctoritas augeatur, si eum ex ipso Veronensi descriptum esse credibile sit. Quod ipse persuasum habeo et aliis conabor persuadere. Exordior autem a subscriptione libri G, unde opinionem meam haud paulum iuvari arbitror. Ibi igitur post „Versus Domini Benevenuti de Campexanis de Vicencia de resurrectione Catulli poetae Veronensis“ haec

leguntur „Tu lector quicunque ad cuius manus hic libellus obvenerit, scriptori da veniam si tibi corruptus videbitur. Quoniam a corruptissimo exemplari transcripsit. Non enim quodpiam aliud extabat, unde posset libelli huius habere copiam exemplandi, et ut ex ipso salebroso aliquid tamen suggeret (suggereret), decrevit potius tamen corruptum habere quam omnino carere, sperans adhuc ab aliquo alio fortuite emergente hunc posse corrigere. Valebis, si ei imprecatus non fueris. 1375 mense Octobri, 19° quando Casignorius laborabat in extremis“. Hic e verbis, „non enim quodpiam aliud extabat“ etc. haud scio an suspicari liceat codicem G ex ipso archetypo descriptum esse, praesertim si vere dicit Heysius p. 283 eum Veronae scriptum esse, quod unde hic pro certo compererit, ignoro quidem, conicio tamen Heysium exploratum habere Casignorium illum, qui in extremis laborasse dicitur, civem Veronensem fuisse. Hoc dico si certo scirem, res mihi prorsus constaret. At illa verba nequaquam videntur respexisse Heysius et Leutschius, quorum hic cum aliis de caussis tum hac librum G Veronensis apographum esse negat, quod hoc subscriptione illa non contineatur. Quod valde miror, cum in ipsa subscriptione gravissimum indicium inesse arbitrer. Simul effici videtur archetypi apographa non facta esse ante codicem G, ita ut Lachmanno adsentiar, qui comment. in Lucret. p. 246 anticum Veronensem codicem ante finem saeculi quarti decimi in alios transcriptum esse negat. Quae opinio magnum in ea re praesidium habet, quod nullum usque ad hunc diem Catulli exemplar Germanensi vetustius repertum est; nam codicem, quem Rossbachius praef. p. V (editionis prioris) scribit Vicetiae extare in bibliotheca della pietà del monte scriptum anno 1360, eum Heysius p. 282 centum annis recentiorem esse adfirmat. — Praeterea autem ex subscriptione perspicere mihi videor non indoctum fuisse, qui codicem G exaravit, librarium neque inprudenter ab eo descripta esse Catulli carmina, cum ipse ignoscendi veniam petat a lectoribus, quod corrupta carmina posteris tradat.

Unde reliqua licebit refellere Leutschii argumenta, quippe quae cuncta tum demum rata essent, si librarium constaret hominem fuisse indoctum. Itaque nullius est momenti, quod Leutschius rectius in universum singula verba ait in codice G distincta esse, quam ut statuere liceret hunc ex ipso archetypo descriptum esse. Quidni putemus doctum illum librarium pro virili parte contulisse ad singula vocabula recte distinguenda. Ceterum sexcenti et in reliquis codicibus et maxime in G reperiuntur loci, ubi vel plura vocabula in singula coaluerint vel singula in plura distracta vel denique plura male divisa sint. Quod ne mentitus esse dicar, exempla talium vitiorum e non nullis carminibus hic proponam. Inveniuntur igitur haec:

c. IV, 4 DGL neque esse (nequisse). 6 DG mina ei L ei minas (minacis) 23 DGL amaret (a marei). XVII, 1. D oculo in aquae G oculo in aque (L o culonia quae. o colonia quae.) 3. DGL ac sulcis stantis (assulis stantis) 6 D sali subsali GL sali subsili (salisubsili) 14. DGL cui iocum sit (quoi cum sit) 24. DGL potest olidum (pote stolidum) XLIV, 7. DG expulsus sum L expulsus sim (expuli tussim). 11. DGL minantium petitorum (in Antium petitorem). 19. D sistire cepso GL sestire cepso (Sesti recepso). XLV, 10 DGL Ad hanc me (At Acme) 13. G septi nulle (Septumille) 17. G sinistravit ante (sinistra ut ante) 23. D ut non in (uno in). XLVI, 1 DGL vere gelidos (ver egelidos) 5. D estu ore (aestuosae). E paucis tantum carminibus exempla enumeravi, nihilo minus satis adparet vitia illa admodum frequentia esse in Germanensi et reliquis libris. Quod vero ex illis exemplis perspici nequit, permulta aut codicis G aut D propria sunt, nullum autem codicis L, nisi quod semel unum vocabulum, quod G et D continua scriptura exhibent, temere diruptum extat in L c. LXXXXVII, 5 seseque dedalis (G sesequededales D sexquipedalis). Hinc, quod aliunde quoque mihi effici videtur, artiorem esse confirmatur codicum G et D cum archetypo necessitudinem quam codicis L. — Nihilo firmiora reliqua sunt Leutschii argumenta; an hoc

multum valet, quod multae in G inter lineas et in margine coniecturae reperiuntur? Libenter credo, quod Leutschius adfirmat coniecturas, quae in G adferantur, eidem manui deberi, quae ipsum codicem exaraverit, ut dubitari nequeat, quin illae ex eodem sumptae sint codice, unde Catulli fluxerunt carmina. Fortasse etiam librario illi, quem non fugerunt plurima Catullianorum carminum vitia, non nullae tribuendae sunt. Iam vero num forte abhorret a probabilitate illas coniecturas in ipso archetypo in margine vel inter lineas adscriptas fuisse? num minus probabile est saeculo decimo Ratherium aut qui saeculo quarto decimo Veronense exemplar legerunt, ipsorum inventa traditis verbis inmiscuisse, quam qui recentiores codices habuerunt in manibus? Quod aegre mihi persuadebitur. Contra ut has credam discrepantias iam in ipso archetypo adnotatas fuisse maxime adducor, quod plerasque earum in codicibus D et L in ipsum textum receptas esse video, hos autem codices, certe Datanum, ex eodem archetypi apographo fluxisse prorsus incredibile est. Rem ut exemplis inlustrem, lectiones in margine et inter lineas codicis G adscriptas e primis carminibus quattuor et triginta uno in conspectu proponam, veras asterisco insignitas, adnotaturus, ubi codices D et L cum his lectionibus consentiant:

II,	3.	parenti	XII,	4.	falsum DL.
„	9.	luderem D	„	15.	muneri * D
„	13.	ligatam * DL	XIII,	10.	quid * L
III,	14.	quae * DL.	XIV,	15.	optimo * DL
„	„	pulchra	„	16.	false DL
IV,	27.	castor * D	XV,	13.	pudenter * D L
VI,	9.	hic — ille * D	„	17.	tum * DL
VII,	4.	(Lasarpici feris) fretis	XVI,	7.	tum * D
„	„	cyrenis *	XXII,	3.	itemque
„	6.	beari	XXIII,	1.	servus * DL
„	9.	basia * DL	XXIV,	5.	cui * nec D
IX,	4.	sanamque	XXV,	3.	araneoso * DL
X,	8.	quonam *	„	5.	aves DL vel aries
„	9.	neque ipsis *	XXVIII,	11.	pari *
„	13.	nec	„	14.	nobis
„	26.	Serapim * L	XXXIII,	4.	volantiore L
„	27.	deferri * DL	XXXIV,	15.	noto D
XII,	2.	loco.	„	21.	sis quocunque *

Non magis denique tituli, qui in G singulis carminibus praefixi sunt, Leutschii favent opinioni. Quam quaestionem ad liquidum me posse deducere negavi in exordio huius dissertationis, cum usque ad hunc diem nondum exploratum sit, utrum meliores libri in illis titulis consentiant necne. Sed sive consentiant sive dissentiant, non potest inde, quod G titulos habet, colligi eum ex alio atque archetypo codice descriptum esse. Namque si re vera inter hunc et reliquos libros consensus intercedit, necessario statuendum erit in archetypo aut a Ratherio aut saeculo XIV ab homine aliquo nobis ignoto titulos adpositos esse; sin autem G proprios titulos habet, eos ipsi librario, qui codicem exaravit, cur non tribuamus, idoneam caussam desidero, cum eum ostenderimus non ignarum fuisse Latinae linguae.

His omnibus perpensis ego equidem librum crediderim Germanensem ex ipso archetypo descriptum esse, unde quanta lectionum eius sit auctoritas, licet librarius rem suam haud ita curiose gesserit, facile cogoscitur. Itaque maxime optandum est, ut mox diligentius, quam a Silligio factum est, variae huius codicis lectiones excutiantur et palam fiant, cui desiderio spero fore, ut Froehnerus, quem novam Catulli editionem parare comperi, satisfaciat. Ad extremum autem pauca lectionum Catulli e codice G repetitarum specimina addam exorsus a carminis LXIII versu 74, quem mutilum in libris Berolinensibus sic extantem „roseis ut hinc labellis sonitus adiit“, auxilio Germanensis libri, in quo inter voces „labellis“ et „sonitus“ adverbium „propalam“ insertum est, transpositione sanandum esse supra monui. Redii nunc ad hunc versum, quia eodem vitio etiam alii adfecti sunt loci, quorum non nullos LXIV, 122. LXVIII, 101. CXI, 4. CX, 7 uno tenore

tractare mihi propositum est. Omnium enim horum versuum in Lachmanni codicibus complures syllabae interciderunt, contra in Germanensi, quem non nulli deteriores libri secuntur, integer est syllabarum numerus. Haec optimorum codicum differentia non poterit explicari, priusquam etiam reliquorum satis adcuratam cognitionem nacti erimus. Nostrum est duplicem hanc quaestionem dissolvere, primum utrum in illis versibus codicis G lectiones aut ipsae bonam sententiam praebeant aut haec facili opera inde erui possit necne, deinde utrum hae lectiones ab ipso poeta profectae an coniectura videantur a librariis inlatae esse. Itaque incipio a carminis LXIII versu 74, quem e codicis G vestigiis sic scribendum esse dixi „roseis ut huic labellis propalam abiit sonitus“ aut „sonitus propalam abiit“. Ad quam lectionem commendandam nihil restat nisi ut eam ab interpolationis suspitione defendam, sed ab hac suspitione omnino videtur tuta esse vox „propalam“, quippe quae tam raro reperiatur, ut non sit credibile eam librario deberi. Multo meliore iure suspectum esse potest, quod carminis LXIV versui 122 in G insertum est adiectivum „dulci“. Nihilo setius hic quoque bonam et ab ipso Catullo ortam lectionem codicis esse G paucis demonstrabo. Repperit Lachmannus in codicibus suis haec „Aut ut vecta ratis spumosa ad litora Diae, Aut ut eam devincta[m] lumina somno Liquerit“ etc., quorum versuum alterum aperte uno pede breviorem sanare conatus est addito in initio eius verbo „venerit“; iam vero „ratis vecta venerit“ dici nequit, quod sentiens Lachmannus e nominativo „ratis“ ablativum „rati“ fecit. Neque tamen hoc „vecta rati venerit“ non languet, cum participium „vecta“ plane supervacaneum sit; neque dubito, quin Catullus potius nudum ablativum „rati“ cum verbo „venerit“ coniuncturus fuerit. Maxime autem propterea persuasum habeo scripsisse Catullum „vecta rati venerit“, quod in G integer hic versus legitur: „Aut ut eam dulci devinctam lumina somno“. Nemo opinor neque in omisso verbo substantivo „sit“ — quamquam multo rarius coniunctivus „sit“ quam indicativus

„est“ omittitur — offendet neque in eo, quod idem somnus, qui re vera fatalis fuerit Ariadnae, hic dulcis adpelletur, quod pluribus explicetur vix necesse est. Denique vero non interpolatum esse hoc vocabulum ut ostendam, carminis, cui „Ciris“ inscriptum est, versum 206 „Iamque adeo dulci devinctus lumina somno Nisus erat“ etc. adtulisse sufficiet. Quo versu quin poeta Catullum imitatus sit, nemo dubitabit; quod permultis locis [1]) factum esse videbit quicunque Cirin cum Catulli carminibus contulerit. Auctor huius carminis, poeta valde mediocris, in imitando Catullo saepissime eo progressus est, ut plura verba inde in carmen suum reciperet. Itaque et hic adparet codicem G ipsius Catulli manum repraesentare, et alibi quoque, si forte non poterit tam certis argumentis quam hic interpolationis suspitio removeri, eundem librum antiquam lectionem servasse ex hoc ipso loco credibile fit. Inde fides eius vocabuli, quod LXVIII, 101 solus G, si nullam deteriorum codicum rationem habemus, exhibet, nescio an valde augeatur. Desiderantur etiam in hoc versu „ad quam tum properans fertur . . . . undique pubes“ in codicibus D et L aut duae correptae syllabae aut una producta; sed hic quoque omnibus numeris absolutus decurrit versus in Germanensi „ad quam tum properans fertur simul undique pubes“. Quam vocem „simul“ aptissimam esse vix quisquam negabit, putarunt autem Lachmannus aliique eam ab Italis additam esse; quod profecto pro frequentia huius vocabuli facile fieri potuit. Attamen post ea, quae de carminis LXIV versu 122 diximus, idoneam caussam, cur hoc statuamus, non video. Neque minus mihi persuasum est codici G veram et genuinam lectionem deberi c. CXI, 4; ubi quae est in initio alterius pentametri partis lacuna, in G expleta est verbo „efficere“. Castigat poeta hoc epigrammate Aufilenam quandam, quae quamvis nupta non

1) Plerosque locos neque tamen omnes collegit Silligius in Heynii editione quarta P. Vergilii Maronis curata a Wagnero (Lipsiae 1830) vol. IV p. 155 sq.

solum aliis corporis sui copiam fecerit, sed etiam cum ipso patruo incestum commiserit. Quod cum certissimum sit, necessario requiritur in hoc versu „quam matrem fratres . . . . ex patruo“ pariendi vel similis verbi notio, ita ut illud „efficere“ optime conveniat in hunc locum. Nam cur Doeringio efficere fratres pro edere vel gignere fratres vix ferre videatur latinitas, non intellego, cum hoc verbum eadem notione Columella adhibuerit VII, 6 „pessima est fetura, cum matres bimae ternos haedos efficiunt“ neque multo inde distet, quod Cicero Verr. II, 3, 63 dicit agrum efficere plurimum. Simul autem haec notio efficiendi verbi rarior est, quam ut veri sit simile ab interpolatore hoc verbum illi versui interpositum esse. Ideo in hac codicis G lectione adquiescendum videtur neque ad coniecturam necesse est refugiamus cum Rossbachio et Heysio, quorum ille poetam „concipere“, hic „suscipere“ scripsisse putat. — Eandem Aufilenam Catullus opprobriis insectatur carmine CX; fraudaverat meretrix Catullum pretio, quod hic illi coitus faciendi caussa solverat, qua re valde iratus poeta Aufilenam ait, si pudica esse voluisset, non promittere sibi coitum, sin ingenua, promissi fidem praestare debuisse. Tum haec secuntur verba (v. 6.)

„sed data corripere
fraudando . . . . . . plus quam meretricis avarae,
quae sese toto corpore prostituit“.

Quorum versuum alterum scripsi, qualem Datanus exhibet, sed, quod scio, solus, nam in Germanensi libro post primum vocabulum reperitur „efficit“, quod etiam in Santenii codice additum esse adnotavit ‚Lachmannus; cuius tamen e verbis, „efficit add L“ non perspicio, utrum in ipso versu an inter lineas vel in margine, utrum a prima an a secunda manu „efficit“ additum sit. Hoc autem si verum est, si in ipso dico verborum ordine a prima manu „efficit“ scriptum extat, neque est, cur de fide huius vocabuli dubitemus, neque cur miremur, quod Datanus idem omiserit, in quo, quae corrupta inveniuntur in reliquis libris, saepissime consulto praetermissa sunt.

Sed omnino neutiquam cogitari potest verbum, quod et sententia careat et metro repugnet, a librario interpolatum esse, ita ut non dubitem, quin haec lectio ex ipso codice V in G recepta sit. Sed restat, ut hanc corruptelam, si fieri licet, tollamus secuti quam maxime vestigia codicum G et L; nam qui adhuc hunc locum restituere conati sunt, sententiam quidem plerumque bonam, structuram autem verborum inpeditissimam effecerunt. Praeterea priores editores quamvis inscii peccarunt in ea re, quod a lectione „effecit“, quae deteriorum codicum est, profecti sunt. E quibus Ios. Scaliger castig. in Catull. p. 119. „effecit“ ex „effexit“ (pro „effecerit“) ortum, supplendum autem esse ad hoc verbum e versu 4 „facinus“ arbitratur hac adiecta explicatione *ποιήσειεν ἂν τὸ τῆς πόρνης. ἐργάζοιτ' ἂν τὸ τῆς πόρνης, ἤγουν τὴν ἐργασίαν τῆς πόρνης.* Quae verba si recte intellego, hoc Scaliger Catullum dixisse putat: dona fraude corripere maius est facinus, quam quod avara meretrix committit, cum lucri faciendi caussa in omnia libidinum genera se prostituat. Quam sententiam non possum quin maxime probem, hoc vero non perspicio, quo modo Scaliger eam e Catulli verbis elicuerit. Erravit vir summus maxime in eo, quod „efficere“ pro verbo substantivo „esse“ a Catullo adhibitum esse sumit; quod ab hoc loco alienissimum est; potuit Catullus dicere aut „Aufilena facinus efficit fraudando“ (ut Cic. Phil. II, 42, 109: mirabilia facinora effecit) aut „corripere data fraudando est facinus“, minime autem „corripere efficit facinus“, erravit deinde, quod ad „effexit“ supplendum esse dicit e versu 4 „facinus“, cum „plus“ requirat genetivum „facinoris“, qui num ex illo versu commode hic subintellegi possit, vehementer dubito. Nec non displicet denique in Scaligeri ratione coniunctivus perfecti, quem ipse notione optativi Graecorum cum particula *ἂν* coniuncti explicuit; qui cum parum fortis sit, non convenit rei naturae, sed postulatur a poeta in talibus sententiis, ut distinctius loquatur; itaque hoc loco unice aptus videtur indicativus temporis praesentis. — Praetereo, quod Doeringius vetustiores

aliquot editiones secutus invitis codicibus scripsit „sed data corripere fraudando efficitur plus, quam meretricis avarae" etc., in qua lectione explicanda, ne reliquas difficultates tangam, Doeringius hoc sibi concessit, ut „data corripere fraudando" idem esse putaret atque — horribile dictu! — „munera fraude corradendo". Melius in emendando hoc versu perspicuitati orationis consulerunt Bergkius et Rossbachius, quorum hic pro corrupto verbo „efficit" „fictis", ille „officiis" scribendum proposuit. Utrumque et „fictis" et „officiis" pendet a „fraudando", sed diversis rationibus, nam „fictis" est ablativus, quem nos dicimus, instrumenti et hanc ipsam ob caussam minus placet, cum ex eodem ablativi genere ipsum „fraudando" sit, quod Catullum nunquam admissurum fuisse mihi persuasum est. Omnino autem hoc „fictis" ad „fraudando" adpositum timeo ne supervacaneum sit, cum haec notio iam in ipso fraudandi verbo insit. Alia est ratio ablativi, quem Bergkius in hunc locum infert; hic est ablativus rei ereptae, qui hoc loco aptissimus videri potest, nam „officiis fraudare aliquem" mendacissima illa Aufilena recte dicitur. Sed desidero in Bergkii lectione accusativum eius, quem Aufilena officiis fraudaverit, qui accusativus neque ab hoc neque ab orbandi, privandi, spoliandi aliisque similibus verbis abesse potest, ubi ablativus ab his pendet. Hanc ob caussam etiam Bergkii coniectura licet proxime ad codicum vestigia accedat, non videtur probabilis. Ut autem meam tandem sententiam aperiam, in prima syllaba corruptae vocis „efficit" verbum „est" latere suspicor, quo aegre et in Rossbachii et in Bergkii lectione caremus; in reliquis vero litteris genetivum substantivi alicuius quaerendum esse penitus persuasum habeo propter adverbium „plus", nam dum considero argumentum huius carminis et reliqua ultimorum versuum verba, certissime intellegere mihi videor hoc dixisse poetam: Aufilenam, quod fraude munera corripiat, maiorem in se suscipere contumeliam vel scelus quam meretricem, quae omnibus se prostituat". Itaque nisi quis e vocabulo „facinus" v. 4 genetivum eiusdem

hic supplere maluerit, in his corruptae illius vocis litteris „icit" tale substantivum quaerat necesse est. Omnibus his condicionibus nescio, num aliud substantivum melius satisfaciat ac „vitium", ut totus locus sic restituendus sit:

Sed data corripere
fraudando e s t v i t i i plus quam meretricis avarae,
quae sese toto corpore prostituit.

Quod autem nunc hoc carmen relinquo, id, ut verum fatear, non quasi omnia recte se habeant aut manifesta sint, facio, sed quia vires meas non omnibus difficultatibus removendis pares esse sentio. Nam frustra in emendando quarto versu, qui misere corruptus mihi videtur, operam posui. Omnino autem haec ultima Catulliani libri carmina pluribus quam priora vitiis inquinata sunt; critici vero, priusquam ad ea accesserunt industriam videntur paulo remisisse, ita ut etiam nunc corruptelae hic reperiantur, quae quo modo huc usque duraverint profecto mirum est. Tale vitium extat in carminis CXV versu 5:

„prata, arva, ingentes silvas, saltusque paludesque".

Quo versu nixus Luc. Muellerus de re metr. poett. Latin. p. 295 dicit Catullum in distichis semel hexametrum hypercatalectum i. e. elisione cum pentametro coniunctum admisisse; qua in re egregie fallitur, quia Hauptii editioni nimiam fidem tribuens ipse, quod decebat eum utpote tam severum non minus artis criticae quam metricae arbitrum, diligenter circumspicere omisit, num tutus esset ab omni parte ille versus; quod multo secus habet. Non hoc urgeo, quod apud poetas Romanos nusquam, ni fallor, talis synaphia in distichis reperitur, nam suo iure Muellerus dicere poterit hac quoque in re Catullum Alexandrinorum vestigia secutum esse. Caussa potius, quam propter ego illum versum tolerari posse nego, in eo, qui proxime antecedit „uno qui in saltu totmoda possideat" posita est. Quovis pignore contendo Catullum non scripsisse „Mentula in saltu possidet saltus". Quod videntur intellexisse Bergkius et Rossbachius, quorum

ille scripsit „salsasque paludes“, hic „latasque paludes“. Quas coniecturas si adcuratius inspexeris, Bergkium videbis vitium vitio commutasse, quippe quem fugiat aquam palustrem non salsam esse. Longe melius sese habet Rossbachii coniectura, quam per se quo minus probemus nihil obstat. Sed coniectura omnino non opus est, cum codex Datanus sicut multis aliis locis etiam hic veram poetae manum servaverit „altasque paludes“, ad quem Dr. P_2 F proxime accedunt, qui omissa post „paludes“ particula „que“ exhibent „saltusque paludes“. In lectione igitur codicis D certissime subsistendum est, quam quod omnes ad hunc usque diem editores deseruerunt, maximo opere miror. Qua vero ratione corruptela „saltusque paludesque“ in plerosque libros inrepserit, facillime intellegitur; nimirum vox „altas“ e proximo vocabulo „silvas“ litteram s in initio adsumpsit, unde cum ex „altasque“ factum esset „saltusque“, vix potuit fieri, quin etiam voci „paludes“ in fine particula „que“ adderetur.

Vita scriptoris.

Natus sum *Paulus Boehme* Halis Saxonum postridie Kal. Nov. anni h. s. XXXVIII, patre *Theodoro*, quem praematura morte abreptum valde doleo, matre *Augusta* de gente *Grunert*. Litterarum primordiis inbutus in schola latina, quae Halis floret rectore *Ecksteinio*, exeunte anno L receptus sum inter alumnos gymnasii Portensis a rectore *Kirchnero*, quem mox mortuum secutus est *Peterus*. Unde ineunte anno LVIII ad universitatem Halensem profectus sum, ut litteris philologicis me darem, scholisque ibi auditis *Bergki*, *Bernhardyi*, *Blanci*, *Erdmanni*, *Leonis*, *Potti*, *Schalleri*, *Zacheri* exeunte a. LIX hanc Bonnensem adii academiam, cuius per quinque semestria fui civis. Scholas audivi *Iahni*, *Langi*, *Loebelli*, *Monnardi*, *Reifferscheidi*, *Ritscheli*, *Schopeni*. Atque placuit *Ritschelio Welckeroque*, ut essem seminarii philologici sodalis ordinarius per duo semestria, quorum uno fructus sum disciplina *Ritscheli* et *Welckeri*, altero *Iahni* et *Ritscheli*. Praeterea archaeologicis *Iahni*, historicis *Loebelli* interfui exercitationibus, nunc seminariis, per complura semestria. Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas.

Sententiae controversae.

I) *Speciosius quam verius Gerhardius prooemium Hesiodi theogoniae, quale nunc legatur, amoebaeum carmen esse contendit.*

II) *In Thucydidis lib. I cap. 1 ante verba τὰ γὰρ πρὸ αὐτῶν κ. τ. λ. interciderunt non nulla, quibus bellorum contra Persas gestorum mentio facta erat.*

III) *Aliud consilium Xenophon in conscribendis primis duobus Hellenicorum libris secutus est, aliud in reliquis.*

IV) *Catulli carminis LXXI versus 3 corruptus est; scribendum videtur*

„Aemulus iste tuus, qui vestrum evertit amorem".

V) *Eiusdem poetae carm. LXXVI v. 8 tolerari nequit.*

VI) *Inmeritam laudem Mommsenus in historia Romana C. Graccho tribuit, quod regnum adpetierit, qui potius rectissime fecit, quod regno non studuit.*

VII) *Philosophica Ciceronis scripta e scholis expellenda sunt.*